

non Romæ ulterius, sed in alio Germaniæ angulo est collocata? nonne & Finis idem, quo non tam Romani, quam Germani gaudent? quibus accedit, quod Româ, tanquam capite, ablatâ & avulsis membris præcipuis, rei appellatio minus adhuc quoque integra esse queat: Tum imperatorum Electio haud à Romanis, sed Germanis habetur. Hæc autem veritati minimè nuncium remittunt. Contrarium potius nobis arridet, quod Imperatores ipsi se non Germanos, sed Imperatores Romanos

A.  
*Arum. in Di-*  
*scut. 1. Jur. Pub*

B.  
*Lib. 10. Ep.*  
*Turc.*

C.  
*Schönb. l. 52.*  
*Siebenh. E. 7.*  
*gest. 6.*

appellitent. (A.) Cui appellationi etiam hostem ipsum calculū suum adjicere oportet: Nam aliquoties, si fidem habemus viri: Clar. Nic. Reisneri literis, (B.) à Turcarum Imperatore Solymano, Ferdinandus Romanorum Imperatoris titulo affectus est. Omne autem punctum gerit, quod legitimè titulus hic fuerit acquisitus. Divinà enim favente clementiâ à Carolo Magnò, belli jure partim, partim quoque Imperatorum Constantinopolitanorū indultu & approbatione in Germanos Imperii Romani administratio devoluta est. (C.) Ex quo postmodum usu receptum, ut in omnibus ferè Imperii Constitutionibus hæc verba expressa legamus:

Das Heilige Römische Reich Teutscher Nation.  
Ex his bene perspectis quilibet illa in contrarium allata, nisi cerebrum in calcaneis gerat, nullius plane esse ponderis, judicabit & dignoscet.

### III.) AN NECESSARIA VIRO POLITICO Peregrinatio.

SI Magistratum Solem Reip. jure merito salutamus, cujus luce, sive virtute, civitas illustratur; Ne-

MO